



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

I. Calvinus melius aliquanto moratus quam Lutherus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

quos cum eis habebat, religionis iniiciebat mentionem, & quasi aliud agens, mordacibus verbis auctoritatem ac traditiones Ecclesie vellicabat. His ille artibus non difficillime complures magnae auctoritatis viros in suam sententiam pertraxit: inter quos praecipue fuerunt Antonius de Chailou, Conventus Butevillani Prior, Lutheranorum Papa, postea cognominatus; nec non Abbas Bassacensis, uterque literatus, & in bonis conquirendis libris perquam studiosus; ut & Torfacus, Praefidis dela Place frater, Historici postea munere apud Calvinistas functus. Ad hos Calvinus frequenter ventitabat, interveniente etiam non raro ipso Tilio, in arce quadam non procul ab oppido Engolismensi sita, & Girac appellata, in qua Prior ille Butevillanus ordinarium domicilium habebat. Ibi Institutiones suas Calvinus depromebat, & Theologiae suae mysteria revelabat atque explicabat, quantum quoque die scripsisset, ipsis recitans. Quo in labore tam erat assiduus, ut noctes saepe diebus continuaret, tam somni quam cibi ac potus interim omnino oblitus. Verum enim vero eo quocumque pede tramitem hunc decurrere, atque integram hominis huius, in malum Galliae nostrae nationis historiam pertexere, ac minima etiam persequi libet. Equidem ut in conquirendis varijs quae eo pertinent documentis nulli labori peperci, sic spero lectorem in cognoscendis impostoris huius, post homines in Gallia natos maxime versipellis, dolis atque astutijs, operae aliquid non gravate collocaturum.

LUTHERI ET CALVINI COMPARATIO.

CAPUT X.

ARGUMENTUM.

- I. Calvinus melius aliquanto moratus quam Lutherus.
- II. Sed in concionando parum facundus.
- III. Lutherana haeresis crassa, Calviniana subtilis.
- IV. Calvinum ambitio perdidit.
- V. Eius mordax & superba natura à Volmaro notata.
- VI. Tilletius Calvinum in Germaniam abducit.

I. **M**ULTUM sane duo illi novi Evangelij doctores Lutherus & Calvinus, qui ineptijs suis toti Mundo imposuerunt, tam moribus quam

opinionibus & doctrina inter se discreparunt. Calvinus quidem strictiorem vivendi disciplinam sequutus est, & secus quam Lutherus, à carnis & ventris voluptatibus etiam primo adolescentiae ingressu alieniorem se ostendit. Lutherus enim abdomini serviebat, nec linguae modrabatur; adeoque in crasso corpore crassiusculum aliquanto spiritum alebat, Calvinus e contra tenui & macilentum corpore animum viridem & non minus consilio quam cum audacia cautum gestabat; homo etiam juvenili aetate cibi ac potus abstinentissimus, sive ut valetudini consuleret, ut qui continuis fere capitibus doloribus vexaretur; sive ut ad litterarum studia, in quibus dies ac noctes erat assiduus, tanto esset alacrior atque expeditior. Beza ait alibi, vidisse se illum toto biduo ab omni cibo ac potu abstinentem. Ne vero quis existimet id superstitione quadam ab ipso factum, addit: Causas ieiunij huius fuisse, ventriculi debilitatem, & hemicraniam, quibus praesentius remedium non esse quam incediam, vel certe temperantiam, experientia se edoctum affirmabat. Lutherus quaecumque splendida bilis suggereret evomebat; at Calvinus odium, invidiam, & quaecumque alia intimis recessibus condita habebat. Lutherus animum, quod dicitur, in fronte gestabat, nihil fere celans; at Calvinus summus dissimulandi artifex, subtristi vultu affectus à cogitationibus & verbis plane dissentientes mentiebatur. Lutherus genio indulgens, per summam hilaritatem tempus transigebat; Calvinus e contra summam in moribus affectabat gravitatem, nam & pauca & non nisi serijs atque arduis de rebus loquebatur, nec sensus suos facile expromebat: & quia natura erat melancholicus, paucorum hominum consuetudine utebatur, & eorum tantum quos morum similitudo ipsi conciliabat, solitudinem ita deditus, ut diceret, nunquam se minus solum esse quam quum solus esset. Ipse fateretur alibi, sibi naturam verecundam & agrestem aliquantum corrigisse, quietem & tranquillitatem super omnia diligenti; eoque secessum se & latebras omnibus modis quaerere atque optare: verum tantum abesse ut voto suo haec potiri potuerit (vide iactantiam huius lucifugae) ut etiam secessus sui loco publicae scholae habeantur. Ecquid hic homo vanae gloriae pruritu se ipsum titillare tibi videretur? Illud scilicet dicere vult, eorum Mūdum ad se tamquam ad alterum Ioannem Baptistam accurrisse, ut Christum ipsis monstraret. Similis scilicet Calvinus erat vesperilionibus, qui prius nidum non

relinquunt quam sol occiderit; tumque è latebris suis in templis evolant, ut oleum lucernis affusum exhauriant, atque ipsas lampades extinguant. Engolismæ dum moratur Calvinus, conclavi quodam in Tiliæ ædibus, plus quatuor librorum tam impressorum quam manuscriptorum millibus instructo, fere se continuit, tam abstractus ab omni hominum consuetudine, ut etiam amicorum intimi (quod ex viris fide dignis & oculatis testibus didici) ægre ab ipso admitterentur. Tanti ocium suum faciebat.

II. Lutherus patria lingua fuit eloquentissimus, ut eius oratio plurimum ex ipso quoque solo nativæ elegantia hæsit. Quum enim in ceteris Germaniæ partibus, Franconia scilicet, Bavaria, in Rhæni tractu, Suevia & alibi Germanica lingua crassum quid & insuave sonet, sola Misnia elegantè dicendi palam omnibus præripit. Et quemadmodum Florentia in Italia, Lutetia in Gallia, Madritum in Hispania suæ quæque linguæ perfectæ elegantia commendantur; sic Lipsia primum Misniæ oppidum eadem inter ceteras omnes Germaniæ civitates laude floret: à qua, patria Lutheri Islebium non longe distat. Fuit ergo Lutherus orator quum disertus tum vehemens: in Calvino e contra quociescunque è suggestu ad populum verba faceret, nihil erat quod auditoris animum allicere aut detinere posset, multa e contra quæ fastidium & nauseam afferebant, ut qui nulla actionis elegantia instructus esset, & illud suum, *Quid morer?* fere semper in ore haberet. At si quando in Catholicos, ac præsertim Ecclesiasticum ordinem linguæ fracta laxaret (quod fere semper fiebat) Deus bone, quomodo pusilli illius corpusculi iugulū sive guttur inflammabat, quomodo vocem efferebat, & quam maximum poterat exclamabat! Sæpe in has voces erumpens: *Vobis ego dixi, & vos scitis, Prophetam me esse.* De hæc eius in dicendo vehementia Beza loquens, Eos, inquit, qui viderint ac noverint quibuscumque hominibus Calvino res fuerit, optime iudicare posse, ad quid vehementia illa vere Prophetica & tum profuerit, & ad omnem posteritatem profutura sit. Sed quemadmodum Lutherus, quantum ad vernaculam utriusque linguam attinet, dicendi laude superior, scribendi Calvino æqualis fuit, ut cuius libri hodieque ab ijs qui nativam Germanicæ linguæ elegantiam discere cupiunt, legi solent: sic Calvinus latine scribendi laude excellit, ut qui à puero in litteris elegantioribus multo

maiores quam ille operam posuerat, adeoq; omnia eius linguæ myrothecia diligenter excusserat, ac stilum inde melius formarat. Uterque laboris fuit patientissimus, ut librorum ab eis scriptorum multitudo testatur. Calvinus certe ea in re vix parem habuit. nam viginti tribus illis annis quibus Genevensis Episcopatu usurpavit, quotidie concionabatur, & diebus Dominicis plerumque bis: Theologiam vero ter singula quaque hebdomada in schola prælegebat, ac feria sexta quaque disputationem, quam Collationem vocabant, habebat. Quod reliquum erat temporis libros conscribendo & ad epistolas, quæ undique ad eum tanquam ad summum hæreticorum Pontificem magno numero mittebantur, respondendo consumebat.

III. Lutherus religionem crassam & pinguem, ut ita dicam, commentus est, Calvinus subtilem & bene alembicatam. Illud à curiosis observatum est, hæreses ab Austro progressas multo subtiliores esse ijs quæ ab Aquilone prodierunt. Harum enim auctores plerique ieiunia, abstinentias, vota, celibatum & alia carni minus suavia evertenda sibi sumpserunt: illi vero, & divinam & humanam Christi naturam, processionem Spiritus Sancti, Dei omnipotentiam, corporis Christi in S. Euchariſtia præsentiam, aliaque fide magis quam sensibus comprehendenda impugnaverunt. Et quemadmodum ij qui regiones inhabitant ventis ac turbulenti infestas feroces sunt ac turbulenti qui montana incolunt, duri atque agrestes, quod ipse locorum situs & qualitas hominum animis diversos imprimat mores, ut Plato, Tertullianus, Hippocrates, Xenophon in Cyropædia, Vitruvius & alij testantur: sic constat eos qui in frigidis locis habitant multo hebetiores esse ac stupidiores ijs qui in locis præferendis morantur. Illi Baccho & Venere (hi enim plerumq; individui sunt comites), plurimum de diti sunt, corpore crasso, ingenio simplici ferè ac fraudis experte: hi vero corpus gracile habent & siccū, sed ingenium cautū, subtile, ac malitiosū. Illi in actionibus læti sunt & tardi: hi summa celeritate in omnib; utuntur. Illi religionis non ita tenaces sunt, aut certe minus religioni esse videntur, ut quibus animus non minus quàm aer ipse quæ hauriunt, frigeat, eoq; omnes religiones sibi ferendas iudicent: hi vero ut ingenia habeant ad con-ēplationē magis disposita, sic deorum metu vel superstitione facilius ducuntur, & religiones semel susceptas magna cōstātia tuentur. Calvinus ergo ingenij acumine Luthero præstantior, altissima Christianæ religionis mysteria conue-